



DE *Doz.* 5
SIMVLATIONE RHETORICA

PRAESIDE 1780,
IOANNE FRIDERICO 46
HILLERO

ELOQVENTIAE PROF. PVBL. ORDIN. ALVMN. ELECT
EPHORO H. T. ACADEMIAE RECTORE

DIE XX. SEPTEMBR. MDCCLXX
IN AVDITORIO MAIORE
H. L. Q. CC

DISPVTA BIT
AVCTOR
IOANNES CHRISTOPHORVS BALTZERVS
IVTREBOCENSIS

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII
ACADEMIAE A TYPIS

DEUTSCHE
SIMULATION RHETORICA

FRANZ
JOHANN WILHELM RHEINOLD

HILF BUCH

ERSTES THEIL VON DER GRIECHEN RHETORIK

LEBENS UND LEHRJAHRE 1774

DIE KUNST DER REDEN

IN DER RHETORIK

VON M. J. RHEINOLD

LEBENS UND LEHRJAHRE 1774

DIE KUNST DER REDEN

IN DER RHETORIK

VON M. J. RHEINOLD

LEBENS UND LEHRJAHRE 1774



SENATVS
IN SAXONIA SACRA SVMMI
PRAESIDI
EXCELLENTISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO
PROPRAESIDI
PERILLVSTRI AC SPLENDIDISSIMO
CAETERISQVE
CONSILIARIS ATQVE ASSESSORIBVS
SVMME VENERABILIBVS ILLVSTRIBVS CON
SVLTISSIMIS AMPLISSIMISQVE
DOMINIS AC PATRONIS
SVMMA PIETATE PROSEQVENDIS

HANC OPELLAM ACADEMICAM
MEMOR ACCEPTORVM BENEFICIORVM
D. D. D.

ATQVE VT
AD EXPLORATIONEM INGENIORVM SOLEMNEM
ADMITTATVR BENIGNISSIME
INFIMIS ROGAT PRECIBVS
DEVM COMPRECATVS
VT IPSORVM GLORIAM
TOT TANTISQVE MERITIS PARTAM
CVM OMNI POSTERITATE EXAEQVET

IMA PARENDI LEGE CLIENS
IOANNES CHRISTOPHORVS BALTZERVS



DE SIMVLATIONE RHETORICA.



§. 1.

Eruditorum plurimi contendunt, multum simulare inter se distare atque dissimulare, ipseque dicendi magister Quintilianus facere cum his videtur ^{*)}. Nam eius iudicio *simulatio est certam opinionem animi sui imitantis: dissimulatio aliena parum se intelligere fingentis*. Hoc discrimen nos non morabitur, imprimis cum idem ille rhetor fateatur, esse illa vicina et prope eadem. Potius accurate definiendum erit, in quo simulationis vis consistat, nimirum in finium occultatione. Qua calliditate Caius Tiberium, alioqui versutissimum, decepit. Auctore enim Tacito, *qualem diem,*

A 2

id

*) VI, 3.



id est, qualem faciem vultumque quoque die *Tiberius induxerat*, talem et ipse prae se ferebat ^{b)}. Quare vero huic se versutiae dedit? vt *immanem animum subdola modestia tegeret*. Quae simulatio modo ad bonum tendere, modo periculo esse potest. Quis, quaeso, Salomonem vituperabit, qui simulauit infantem se viuum, de quo duae meretrices altercabantur, dissecturum, vt veritatem, quae esset mater eius, in lucem proferret. Talis est licita simulatio, quod e veritatis studio nascitur. Quodsi Tiberius, vt Tacitus ^{c)} refert, Germanicum in Senatu laudibus afficit, multaue de virtute et meritis eius memorat, non ex animi sententia, talis est illicita simulatio, mortuis quippe noxia ac viuentibus. Quanquam autem simulatio licita luculentissimum putatur prudentiae signum, tamen omni fere tempore acerrime fuit pugnatum, num in hominum vita ea sit ferenda. Quo feruor hominum imprudens hic progrediatur, Saurinus, tanti ingenii, quantae eloquentiae, sensit. Nam cum anquiret in dissertatione peculiari, exemplo Samuelis, num casibus in quibusdam liceat veritatem tegere, neque eam palam effundere, maximas rixas moderatio viri commouit, vt mortem sibi acceleraret. Ad iucundiora veniamus. Cum sit in primis oratoris artem dissimulare, ne oratio videatur elaborata, quod auditores iis assentiuntur facilius, qui ita, vt naturae impetus fert, dicere videntur, facile vero accidat, vt modum non habeat ille, prudentia temperatum, de simulatione orato-

^{b)} Annal. VI, 20.

^{c)} Annal. I, 52.



oratoria tanto praecipiemus studiosius, quia de ea ex instituto quenquam scripsisse nobis saltem non constat, etsi celeberrimus rerum diuinarum doctor humanarumque Ittigius de simulatione ac dissimulatione luculenter disputauit.

§. 2.

Pro instituti nostri modo, inprimis nobis dicendum erit, quid sit rhetorica simulatio. Nominamus autem eam rhetoricam, propterea quod eius conformandae rationem rhetores monstrant, non ignari, quantum illa summis oratoribus profuerit. Tanto magis vero opus est, ut illi huius prudentiae praecepta ponant, quod maxima hic est cautio adhibenda. Nam orator, si in simulationis suspicionem venit, haec omnem ipsi fidem detrahit. Maximo enim detrimento est orationi moratae, quae oratori necessitatem imponit, ut probitatem in dicendo prae se ferat, cui simulatio maxime obest, quia ille callidius agere videtur, quo nos in fraudem deducat. Nihilo tamen fecius ille non potest a tegendi arte abhorere, modo ratione sui ipsius, modo auditorum habita. Oratori, in casibus quibusdam, non licet omnia in veri lucem proferre, quod incommoda inde maxima perciperet, si veros animi sensus auditoribus patefaceret. Etiam hi non possunt semper nudam capere veritatem, sed haec occultata maius emolumentum adfert. Imitatur igitur orator Aesculapii filios, qui multis verborum ambagibus medicinam amarissimam aegrotis commendant, quo facilius sumatur. Imitatur



viros ciuiles, qui ingenioſe mendacium proferunt, quo propius ad veri noticiam accedant. Imitatur fabularum auſtores, qui, Phaedro ^{d)}) teſte, doctrinas condiunt ingratas, calumni- amque fictis eludunt iocis, ne auditoribus ſint offenſioni. Quam vaſtre hic ſe gerant, qui verba faciunt ad populum, Hanni- balis apud Liuium ^{e)}) monſtrat exemplum ſane quam commo- morabile. Nam cum tota curia Carthaginienſium de colla- tione pecuniae prima moeſtitia atque ſtetu eſſet impleta, ri- dens conſpicitur iſte, quamuis ipſe lacrimarum cauſa eſſet. Quem riſum cum Asdrubal Haedus increparet, primo late- bras animi abdit, alioque cauſam ſublatis cachinni conſert. *Si quem ad modum oris habitus cernitur oculis, ſic et animus in- tus cerni poſſet, facile nobis appareret, non laeti, ſed prope amentis malis cordis hunc riſum eſſe.* Qua profeſſione con- ciliatis animis facilius poterat perſuadere, eos leuiſſimo in ma- lo lacrymaſſe, priuatae magis moleſtiae, quam publici fu- neris memores, pecuniaeque damno acrius ſtimulari, quam cupiditate calamitatis patriae releuandae.

§. 3.

Haec vero rhetorica ſimulatio latius patet, quando in- uentionem non ſolum et diſpoſitionem, ſed elocutionem etiam et actionem in rem ſuam vertit. Ad inuentionem quod at- tinet, tria argumentorum genera percenſebimus, quae ad probandum, conciliandum, mouendum afferuntur. Locos quidem

^{d)}) Lib. III. Fab. prolog.

^{e)}) Lib. XXX. c. 44.



quidem communes, qui rem vel exaggerant, vel extenuant, eandem vel fieri posse, vel non efficiendam declarant, missos faciamus. Res enim, de qua scribimus, maiorem nobis materiam sumministrat, quam ut illam nos penitus perscrutatos speremus. Animum potius ad locos statim proprios adiciamus. In genere demonstratio, quod laudat vel vituperat, ea insunt, quae nos ad honestatis turpitudinisque opinionem ducunt. Hic orator, temporibus feruens, non raro debet nonnulla probare, quae reprehensionem magis, quam laudem merentur. Quanta prudentia hic adhibenda sit, Romanorum princeps oratorum insigni illustret exemplo. Escendit enim usque ad Iouem, in oratione pro Sexto Roscio Amerino ^f), quo L. Sullae indulgentiam excusare nimiam possit. *Si Iupiter, inquit, optimus maximus, cuius nutu et arbitrio coelum, terra, mariaque reguntur, saepe ventis vehementioribus, aut immoderatis tempestatibus, aut nimio calore, aut intolerabili frigore hominibus nocuit, vrbes deleuit, fruges perdidit: quorum nihil pernicii causa, diuino consilio, sed vi ipsa, et magnitudine rerum, factum putamus: at contra, comoda, quibus vitimur; lucemque, qua fruimur; spiritumque, quem ducimus, ab eo nobis dari; atque impertiri videmus: quid miramur, L. Sullam, cum solus rempublicam regeret, orbemque terrarum gubernaret, imperiique maiestatem, quam armis receperat, legibus confirmaret, aliqua non animaduvertere potuisse? nisi hoc mirum est, quod vis diuina assequi non possit, si id mens humana adepti non sit.* Sic se gerendo Tullius infidias

^f) Cap. 45.



fidias effugit, in quas incidisset facile, quod, quae liberti nequam et improbi faciunt, in patronum plerumque conferuntur. In genere iudiciali, quod vel accusat, vel defendit, iustitia dominatur. Multum autem in eo difficultatis est, quia saepius orator eos iniuriae postulare debet, de quibus alias magna ei est opinio. Exemplum rursus a Cicerone petamus, qui hanc artem egregie tenuit, in oratione pro Murena. Hic omnem nauat operam, ut Murenam ambitus crimine liberet, ob eamque causam Catonem, sibi maxime honestatis existimatione aduersantem, notat, propter duritiam Philosophiae Stoicae, quam tamen re vera magni faciebat, ob praestantissima morum praecepta, unde Plutarchus Catonem dixisse de eo, omnibus audientibus, memorat: *o Dii boni, quam ridiculum consulem habemus?* Sed ipse Cicero animum nudet suum, ac simulationis inuolucra aperiat. Nam de finibus bonorum, ubi Stoicorum admirabilia tractat *) in eo moratur, quod illi omnia peccata paria dicebant, seque cum Catone planius atque apertius acturum pollicetur: *non ego tecum iam ita loquar, ut iisdem his de rebus, cum L. Murenam, te accusante, defenderem. apud imperitos tum illa dicta sunt: aliquid etiam coronae datum: nunc agendum est subtilius.* Genus deliberatiuum maxime utilitatem spectat, ubi in suadendo et dissuadendo versatur. Hic autem propter praecipuas auditorum sententias, et factionum discordiam non semper licet versari libere, sed operienda sunt consilia, quo facilius, quod volumus, consequamur. In talibus integumentis

*) IV. 27.



tis Tiberius versutissimus erat. Ita cum Senatus eum precibus adiret, ut imperium suscipere, varie diserebat de magnitudine eius, et molestis ingentibus. Cum primis Augusti laudibus tollit ingenium, tantae molis capax, quo suum deprimere videretur. Ad usum prouocat, quo, in partem curarum ab illo vocatus, didicerit, quam subiectum fortunae regendi cuncta onus. Auctor igitur est, ne ad unum deferantur omnia, plures facilius, sociatis laboribus, partes reipublicae obituros. Quid ad haec Tacitus ^{h)}. *Plus in oratione tali dignitatis, quam fidei erat: Tiberioque etiam in rebus, quas non occuleret, seu natura, siue adsuetudine, suspensa semper et obscura verba: tunc vero nitenti, ut sensus suos penitus abderet, in incertum et ambiguum magis implicabantur.* Quamuis patres vehementer metuerent, ne intelligere viderentur, sentiebant tamen omnes, quo magis Tiberius summam imperii deprecaretur, eo cupidius istum eam aucupari.

§. 4.

Oratione morata, dicendi periti viam sibi muniunt ad auditores sibi adiungendos, eaque facilius saepe, si eam vitae commendant integritate, audientium animos regunt, quam eloquentiae flumine. Hic vero ad tria morum genera orator animum attendat velim. Neque enim sufficit, ut ipse morum probitatem prodatur, sed etiam se in mores auditorum formare debet, hominumque, de quibus verba facit, mores

B

^{h)} Annal. I, 11.



mores sic exprimere, vt imago personis simillima maximam afferat iucunditatem. Sed haec cuncta nolumus copiosius dilatare, propterea quod ab immortali Bergero, in dissertationibus de oratione morata, accuratissime pertractantur. Illud potius in medium proferamus, incidere nonnunquam tempora, quibus orator alios induere mores, auditorum moribus obsequi, eorumque, de quibus dicat, mores sic informare cogatur, vt causae plus profint, quam officiant. Cuius sagacitatis, si quisquam, Cicero specimen edidit sane quam singulare, de lege agraria contra Rullum. Quanquam enim Rullus, legem populo Romano saluberrimam ferre, apud animum constituerat, vt pecunia, vndique redacta, agri, in Italia empti, plebi diuiderentur, Cicero tamen popularis animi specie multitudinem in partes suas pertraxit. Primo quidem tantopere nutare videtur, vt, quo propendeat voluntatis inclinatione, minus liqueat. Deinde, quid quantumque populo debeat, declarat, ac per omnem vitam popularem se fore spondet. Explicat tamen vim huius vocis adeo belle ac festiue, vt vel Gracchorum laudibus faueat. Postremo concessurum se promittit, nisi Quirites, re vltro citro agitata, perspexerint, legem populo, aerario, reipublicae vniuersae plurimum nocere, nec popularem putandam. Quae cuncta tantopere poliuit, vt, secundum Plinium in historia naturali¹⁾ tribus sua abdicarent alimenta. Sed orationis moratae simulatio alias quoque rationes inuit nonnunquam, atque, in genere praesertim Panegyrico, vitia virtutibus finitima in
has

¹⁾ VII. 30.



has commutat. Quam moderationem suadet Horatius in amicitii et iungendis et feruandis ^{k)}).

*Parcius hic viuit, frugi dicatur, ineptus
Et iactantior hic paulo est, concinnus amicis
Postulat ut videatur: at est truculentior, atque
Plus aequo liber, simplex fortisque habeatur,
Caldior est, acres inter numeretur. —*

Consentit mirum in modum cum Venusino Aristoteles ^{l)}). Δηπιτέον δὲ καὶ τὰ σύνεγγυς τοῖς ὑπάρχουσιν, ὡς ταυτὰ ὄντα, καὶ πρὸς ἑαυτὸν, καὶ πρὸς ψόγον, διὸν τὸν εὐλαβῆ καὶ ἀψυχὸν δαδὸν καὶ ἐπιβελόν: καὶ τὸν ἠλιθίον χηρῶν: καὶ τὸν ἀνάληγτον πρῶτον καὶ ἑκάστον δὲ ἐκ τῶν παρακολοθέντων αἰεὶ κατὰ τὸ βέλτιστον. Sic se tractauit Isocrates in encomio Helenae, vbi Parin excusat, collaudata venustate. Nolim tamen virtutes in vitia conuertri. Hoc enim malitiae indicium est, atque iniquitatem prodit, ab Horatio ^{m)}), loco paullo ante commemorato, merito castigatam.

*At nos virtutes ipsas inuertimus, atque
Sincerum cupimus vas incrustare —*

— — — — Eben

*Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam.
Nam vitii nemo sine nascitur: optimus ille est,
Qui minimis vrgetur.*

Ita sensum communis miseriae prae se fert, qui vitia purgat, aequitatemque praestat aliis, quam ipse ab aliis expectat.

B 2

§. 5.

^{k)} Satyrr. L. I. Satyrr. III. v. 49. sqq. ^{l)} Rhet. I. 9.

^{m)} v. 55. sqq. et v. 66. sqq.



Summum orator eloquentiae imponit fastigium, si eas, quas excitare, vel sedare voluit, auditores sentiunt, vel minuunt, animi commotiones. Sicut enim mores delectant, et lenius audientes rapiunt, sic animi perturbationes victoriam de iis deportant. Sed minus exoptatum orator expectare poterit euentum, nisi animus ipsius vel gaudii iucunditas, vel tristitiae dolor prius retigerit. Tantum valet ipse sensus rei, quo animus sententias in voces statim vertit, indices mentis. Quare quod Horatius in arte poetica *) vatibus dat consilii, perinde profuerit oratori:

*Vt ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani vultus, si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi.* — — —

Hic plurimum potest impetus naturae. Nam si gaudes temperatione, quae dicitur sanguinea, ad omnes animi permutationes induendas eris aptissimus, praesertim si cholericam fuerit mixta. Itaque mirandum non est, Ciceronem inter Latinos excellere potuisse. quascunque enim voluit, potuit concitare animi commotiones. Magnam tamen etiam phantasiae viuida virtus vilitatem praebet, quae facile concipit imagines, ad quam facultatem comparandam expressa effigies, et rei vberior descriptio magnopere iuuat. Honesto autem viro nemo efficacius motiones animi ciere potest. Nam tanto virtutis incenditur amore, quantopere vitia detestatur, nec sibi modo consulit, sed etiam sociis, ac patriae praesertim, religionem

*) v. 101. fgg.

ligione vero in Deum nihil prius habet, nihil antiquius. Quapropter, velut ipse in parte laboris ac periculi fuerit, aut fortunae secundae, vel gaudet, vel luget. Sed rarissime omnes haec dotes locum habent, ob eamque causam pauci auditorum inflammare possunt animos. Certe Spaltingius, vir alias discretissimus, quae ipse est modestia, his in praefatione^o) ad orationes sacras se annumerat. At ipsum faciamus loquentem, ut, tanto commonefacti exemplo, ne statim despondeamus animum, si qua nobis virtus defuerit, quam sapientius aliae compensant. Aliena enim bona malaque non semper animum magnopere percuciant, unde gaudium ex aliorum felicitate non diu moratur, sicuti etiam lacrima in periculo cito arefcit alieno. Quo magis nonnunquam vocanda est simulatio in auxilium, quae triumphare laetitia videtur, et calamitatem ferre aegrius. Vix enim a me impetror, ut Tullium statuam eo moerore laceratum et confectum, quem pro Mi-

B 3

lone

^o) p. 29. Ich verehere die vorzüglichen Geister, welche das vereinigt in ihrer Gewalt haben; welche die ganze Seele in Brand setzen können, und doch nicht daraus ein wildes Feuer werden lassen, das ohne Leitung um sich greift, und sich zuletzt, gemeiniglich bald genug, nur in sich selbst verzehret; welche gleichsam alle Federn der menschlichen Natur so gleichförmig zu spannen wissen, daß eine jede zu dem gemeinschaftlichen Zweck ihre ungehinderte Wirkung thut. Aber dagegen giebt es ohne Zweifel eine desto grössere Menge derer, die diese zusammengesetzte und so hoch zu schätzende Gabe von Gott nicht besitzen. Ich weis für diejenigen, die sich hierinn etwa mit mir im gleichen Falle befinden, keinen bessern Rath, als diesen; Wir wollen stets bey uns selbst anfangen.



lone significat: ²⁾) *Sed finis sit: neque enim prae lacrimis iam loqui possum: et hic se lacrimis defendi vetat.* Tantummodo circumspicte agendum, ne simulatio deprehendatur. Quam sollertem Quintilianus paullo timidior cautionem inculcat: ³⁾) *Quae certe melius persuadebit aliis, qui prius persuaserit sibi. Prodit enim se, quamlibet custodiatur, simulatio: nec unquam tanta fuerit eloquendi facultas, ut non titubet ac haereat, quoties ab animo verba dissentiant.* Alioquin idem tibi accidet, quod Tiberio, cum, Tacito ¹⁾) auctore, Pisonem, qui Germanicum nefarie interfecerat, a poena liberare studet, hanc in sententiam: *Desleo equidem filium meum, semperque deslebo. Sed neque reum prohibeo, quo minus cuncta proferat, quibus innocentia eius subleuari, aut, si qua fuit iniquitas Germanici, coargui possit. Nemo moestitiam meam spectet, nec si qua in nos aduersa finguntur.* Quisquis autem aderat, facile subodorabatur, fletum Tiberii tantum per speciem assumptum. Senatus sane nunquam sacris crediderat, sine fraude Germanicum interisse.

§. 6.

Quantum debet ingenii felicitati inuentio, tantum dispositio ab iudicii capit acumine. Haec naturali cum pulchritudine coniuncta esse debet, ut, quo res euenire solet, eo utatur ordine. Neque enim solum delectat auditores aptus rerum tenor, sed etiam lucem adfert perspicuitatis, et tam dicentis, quam audientis memoriae prodest. Interdum tamen
insti-

²⁾ cap. 38.

³⁾ L. XII. 1. 29.

¹⁾ Annal. III. 12.

instituti ratio postulat artificialem collocationem, quae sequitur seriem rerum, quam consilium poscit oratoris. Nimis vero longum foret, atque ab instituti angustiis alienum, omnes orationis partes si percensere vellemus. Satis iam erit, si fuerimus in sola narratione, argumentorumque reprehensione morati. In narrando simulatio ipsis oculis cerni potest rhetorica, quando rationes nobis contrariae perbreuiter attinguntur, imo nonnunquam silentio praetermittuntur omnino, quasi nullius sane momenti. Equidem non facile commendauero silentium oratori, quod aduersarius inde statim potest occasionem arripere criminationis grauioris, tacitamque confessionem exprobrare. Quod si non pauca sunt, quae nobis odium consent, breuitatis simulatio nonnunquam haud mediocrem praestat utilitatem. Nihil hanc in sententiam admirabilius expositione Ciceronis pro Milone, non vniuerse modo, sed etiam cum primis, ubi necem Clodii describit, populo in ciue Romano maxime inuisam. Quoniam vero imponuntur facilius vulnera, quam sanantur, in argumentis confutandis, quae attentionem cient maximam, duplex adhibetur ab oratore cauto simulatio. Irridendo firmissima nonnunquam aduersariorum argumenta labefactantur, quod magistri artis dicendi *ἐξεδεικται* vocant. Si quis se pro ciue venditat, certius sane indicium ciuitatis, quam nomen eius si in tabulis publicis reperitur, esse non potest. Sed quamuis hocce documentum neruos aculeosque habeat, nihilo tamen fecius Cicero illud frangere studet, deludens aduersarium pro Archia poeta: ¹⁾ *Hic tu tabulas desideras Heractiensium*

¹⁾ c. 4.

publicas,



publicas, quas Italico bello, incenso tabulario, interisse scimus omnes. Est ridiculum, ad ea, quae habemus, nihil dicere; quaerere, quae habere non possumus: et de hominum memoria tacere: litterarum memoriam flagitare; et cum habeas amplissimi viri religionem, integerrimi municipii iusiurandum fidemque: ea, quae deprauari nullo modo possunt, repudiare: tabulas, quas idem dicis solere corrumpi, desiderare. At vero callidiores mox detegunt fraudem, ideoque facilius altera simulatione, quae vocatur ἀποκάλυψις seu deductio, influet in animos oratio. Eos enim abducit orator alio, ne contraria se ratio opprimat, promittens, hac de re verba deinceps facturum. Sed postea ne verbum quidem, per obliuionis colorem, affert. Ita Cicero saepe, de his deinceps, ait, cum tamen nihil hanc in sententiam repetat. Sed, quae venia datur profanis oratoribus, ea sacri perperam vtuntur. Sunt, qui contemptores religionis audaces repellere velint, eaque fortitudine plausum captare. Pares autem cum non sint negotio tanto, vel praecipua silentio praetermittunt erroris pestiferi praesidia, vel conuiciis magis pugnant, quam armis. Tales andabatae sanos offendunt, infirmos magis tenent implicatos, hostibus animos addunt, bonamque causam produnt magis, quam tumentur.

§. 7.

Elocutio tam fructuosum aperit nobis campum in rhetorica simulatione, vt totum permeare nequeamus. E tropis, qui orationi plurimum splendoris ornamentique adiungunt,



gunt, diligamus ironiam solam, quae suum ab simulatione nomen ducit. Aliam enim sententiam animo occultamus, aliam exprimere dicendo studemus, ut cardo ipsius in contrariis vertatur. Longe autem abest, ut ad ironiam Cynicam atque illusoriam, quae rusticitatem potius malitiamque prodat versutam, quam verae studium eloquentiae, accedamus. Longe iucundiozem affert Socratica ipso ingenio suo voluptatem, ad sanandos hominum animos aptissima, cuius causa Socrates *ἑταρον* fuit vocatus. Pleni sunt Socraticorum dialogi hac amoena sapientia, eaque probos omnes mirifice delectant. Vnicum decerpamus e Xenophontis Memorabilibus Socratis¹⁾ exemplum, ubi viam ille monstrat, qua cum amicis inire integram possimus amicitiam. Quis hic non continentem miratur ironiam, ad Critobulum clarius erudiendum, pellendumque iucundius. *ὅταν, ὃ Κριτόβουλε, Φίλος τῆν βέλιοιο γενέσθαι, εἴπεις με κατεπιπῆνσε πρὸς αὐτὸν, ὅτι ἀγασά τε αὐτῶ, καὶ ἐπιθυμῆς Φίλος αὐτοῦ εἶναι; κατηγόρει, ἔφη ὁ Κριτόβουλος· εἰδέναι γὰρ διδα μισῶντα τὲς ἐπαινῶντας. εἰάν δέ σου προσηκούσῃ, ἔφη, ὅτι διὰ τὸ ἀγαθὰ αὐτῶ καὶ εὐνοικῶς ἔχεις πρὸς αὐτὸν, ἄρα μὴ διαβάλλεσθαι δόξεις ὑπ' ἐμῶ; ἀλλὰ καὶ αὐτῶ μοι, ἔφη, ἐγγίγνεται εὐνοια, πρὸς ἑς ἂν ὑπολάβω εὐνοικῶς ἔχειν πρὸς ἐμέ. Ταῦτα μὲν δὴ, ἔφη ὁ Σωκράτης, ἔξεσά μοι λέγειν περὶ σοῦ, πρὸς ἑς ἂν βάλῃ Φίλος ποιήσασθαι.*

Si volueris amicitiam contrahere, siueris a me te apud ipsum accusari amoris erga ipsum, desideriiue te cum ipso copulandi. Accusa, Critobulus inquit. neminem enim noui, qui laudantes se odio habuerit. Quod si te praeterea postularo benevolentiae erga eum, ab amore conflatae, nonne te calumniari videbor.

C

Imo

1) II. 6. 33.



Imo vero, ait, eorum causa volo, qui mihi fauent. Cui Socrates, haec mihi licebit de te apud illos dicere, quos tibi conciliatos volueris. Cetera quoque digna sunt animi attentione, vt totam ironiae Socraticae naturam perspiciamus. Nec minus adiumentum omnis allegoria ad simulationem afferet quae maxime cum Socratica inductione conuenit. In ea enim rursus alia mens, alia dictorum formula, inuenitur. Quantam in animis ad frugem reuocandis efficaciam habeat praecipue parabola, opportune adhibita, Nathan docuit, Dauidem regem castigaturus *). Certe tam celeriter non perculisset huius impudentiam vates, eum si mox tanti sceleris coarguisset. Sed parabola e longinquo aditum tibi patefecit, ipsiusque confessionem expressit. Nam cum in memoriam reuocasset inopem, vnica gaudentem omnino ouicula, a se maxima cum cura nutrita, vt pro filia ei esset, diuitemque maioribus pecoribus minoribusque abundantem, quibus, cum hospes quidam aduenisset, pepercerit, illamque captam maetarit: Dauides, magna in locupletem ira concitatus, tanti auctorem facinoris morte dignum affirmauit. Tunc Nathan, tu ille es, inquit, eaque comparatione, quantum Dauides, Vria trucidato, facinus commiserit, demonstrat. In figuris praeteritio in primis me ad se vocat. Per hanc enim simulamus nos ea tacituros, de quibus nihilominus commemoramus. Cuius luminis naturam atque vsum Demosthenis pro corona consuetudine Hermodenes de methodo [†] illustrauit. [†] ε βούλομαι δυσχερές εἰπεῖν ἄδεν, ἀρχόμενος τῆ λόγου, nolo initio orationis quid acerbi dicere. Hac forma

*) 2 Sam. 12.

*) cap. 7.



forma praetermittere videmur res nullius alioqui momenti, quae parerent audientibus fastidium, nobis tamen fructum quodammodo afferunt. Hac res nimis ignotas praeteruolamus, quas deberemus fusius persequi, aut notas omnibus ac per- vulgatas. Hac res molestas decerpimus, ne pluribus enarra- tae, offensionem moueant, strictim vero et quasi aliud agen- do partibus nostris consulant. Quae cuncta Demosthenes, in oratione contra Midiam, in bono lumine collocat, vbi simu- latae praeteritionis simul causam subiicit. Sed in figuris pathet- icis animi species commoti vtramque facit paginam, Quincti- liano iudice. *Quae vero sunt augendis affectibus accommodatae figurae, constant maxime simulatione. Namque et irasci nos, et gaudere, et admirari, et dolere, et indignari, et optare, quaeque sunt similia his, fingimus. Inde sunt illa, Liberatus sum. Respiravi. et Bene habet. et, Quae amentia est haec? O tem- pora, o mores! et Miserum me! consumtis enim lacrimis, in- fixus tamen pectori haeret dolor. et*

— — — Magnae nunc hiscite terrae.

Quod exclamationem quidam vocant, ponuntque inter figuras orationis. Haec quoties vera sunt, non sunt in ea forma, de qua nunc loquimur. Sed assimilata, et arte composita, procul dubio schemata sunt existimanda.

§. 8.

Actio denique pars quidem est rhetorices postrema, sed ceteras sine dubitatione longo antecellit interuallo. De- mosthenes saltem, summus oratorum, semel iterumque ac

C 2

ter.

*) L. IX. 2. 26, 27.



tertium, quid in dicendo esset primum, interrogatus, huic palmam dedit. Etsi autem vocis conformatio gestuumque apud veteres maximo fuit in pretio, nostra tamen memoria plerumque magno cum facultatis dicendi detrimento neglecta iacet. Oratio vero, vel maximo cum studio pulcherrimeque elaborata, ad auditorum animos non permanat, actio nisi in subsidium vocetur. Itaque magno sibi nos beneficio Cresollius obstrictos habet, quo nemo adhuc doctius illam accuratiusque perquisivit, in vacationibus autumnalibus. At tamen merito additur Francius, in specimine gemino eloquentiae exterioris. Nam, quod Cresollius enucleavit vberius, Francius angustioribus circumscriptis limitibus, et animadversionibus ad Ciceronis orationes accommodatis locupletavit, ut usum praeceptorum mox cerneremus. Satis vero constat, neque a voce, neque a motu simulationem seijungi. Quod actionis ipsum nomen, et vox eiusdem significationis hypocrisis oratoria, dilucide e pedit. Haec tribuitur iis, qui alienam personam induunt, histrionibus praesertim et pantomimis propria. Conserunt enim veteres, praeter rhetoras, a quibus praecepta artis accipiebant oratoriae, histrionibus etiam nauare operam, qui venustate sua vocem gestusque emendarent. Caute tamen a scenica actione et tragica oratoriam distinguebant cum Cicerone *) quo arbitro, *accedat actio non tragica, nec scenae, sed modica iactatione corporis, vultu tamen multa conficiens, non hoc, quo dicuntur os ducere, sed illo, quo significant ingenue, quo sensu quidque pronuntient.* Dices fortasse, si nobis significandum ingenue, quo sensu quidque

*) orat. c. 25. que

que pronuntiemus, simulatio abfit. Sed habeo, quod ex ipso Cicerone respondeam ^{a)} *sine dubio in omni re vincit imitationem veritas, sed, ea si satis in actione efficeret ipsa per sese, arte profecto non egeremus.* Suffragatur Fabius ^{b)} *sunt, qui in dicendo curam, et ariem, et nitorem, et, quicquid studio paratur, ut affectata, et parum naturalia soleant improbare.* Nos nihil credimus esse perfectum, nisi ubi natura cura iuuetur. Illud autem semper verissimum sentiemus, quod Aristoteles hic obseruauit, quamuis hominum vicio fiat ^{c)} *καθάπερ μίξον δύνανται νῦν τῶν ποιητῶν οἱ ὑποκρίται, καὶ κατὰ τὰς πολιτικὰς ἀγῶνας.* Sicut in arte poetica plus hoc tempore valent histriones, quam poetae, sic in ciuilibus controuersis, qui bene vtuntur actione, victoriam deportant. Inferuiamus igitur temporibus, memores tamen illius, quod est apud Quinctilianum l. c. *ita temperanda actio, ne, dum actoris captamus elegantiam, perdamus viri boni et grauis auctoritatem.*

§. 9.

Vt in simulatione rhetorica, per eloquentiae partes, quoad angustiae harum paginarum tulerunt, sumus fere omnes versati, ita nunc quaedam adiiciemus, quae totam orationem attingunt. Eo enim nonnunquam dicendi periti tegendi artem deducunt, vt cuncta, quae proferant, fortuita subitaque mentiantur. Quod propositum quando compositae perficiatur, de industria Hermogenes ^{d)} pertractauit. In suasionem vtilitatis rei, dissuasionemque damni simulationem maxime fugiendam, monet, quia, qui velit consilium vtile deliberanti dare, ei res

C 3

^{a)} de orat. III. 57. ^{b)} L. XI. 3. ^{c)} Rhetor. III. 1. ^{d)} de meth. cap. 17.



ei res sit vltro citro prius agitanda, atque sincere profitem-
 dum, se non accessisse de improviso, sed omnia diligenter in-
 dagasse. Huius cautionis retinens Demosthenes, apud Her-
 mogenum, fuit: ὁ καιρὸς ἐκείνος ἔ μόνον ἔνθεν ὑμῖν καὶ πλείσιον ἀν-
 δρα ἐκάλει, αἰδοῦ καὶ παρηκολαθηκότα ἐξαρχῆς τοῖς πράγμασιν μάλιστα.
 Hoc enim tempus non beneuolum modo vobis hominem ac
 diuitem flagitabat, sed etiam rem accuratissime perscrutatum.
 In eo autem dicendi genere, quod iustitiae seruit, maximam
 species extemporalis orationis secum fert gloriam vtilitatem-
 que, qua permoti veteres hoc in genere praecipue ingenium
 ostentarunt. Si enim videntur causarum patroni ex tem-
 pore locuti, suspicionem iudicem decipiendi ab se remo-
 uent, hic potius ea celeritate consilii capiundi in admiratio-
 nem rapitur. Quando vero aliquem laudibus efferimus, aut
 notamus, nihil interest, vtrum commentationem libere prae
 nobis feramus, an simulemus, nos ad dicendum imparatos
 accessisse. Si prius, diligentiae deportamus opinionem, sin po-
 sterior, felicitas ingenii praedicabitur. Sed Quintilianus hic
 longe aliam fouet sententiam, dum, plane remotam esse ab elo-
 quentia huiusmodi simulationem, vult:*) *Philosophia simulari
 potest, eloquentia non potest.* Hi autem duumviri, Hermogenes
 et Quintilianus, facile inter se conciliari poterunt, ad hoc
 vnum si attendamus, illum de simulatione apta praecepta de-
 disse, hunc ineptam perstrinxisse simulationem, *quae subito
 fronte conficta, immissaque barba, veluti despexisset oratoria
 praecepta, paulum aliquid sederit in scholis philosophorum,
 ut deinde in publico tristis, domi dissoluta, captaret auctorita-
 tem*

*) XII. 3. 12.



rem contemptu caeterorum. Sane non exiguum decus illa dissimulatio parit, in primis si fuerit exercitatione firmata, ne quando medio in cursu aqua haereat, sicut memoria interdum nos destituit. Ea saltem veteres tantopere excelluisse mirum non est. Nam ab ineunte statim aetate ingenia litteris perpoliuerunt elegantioribus, omnesque artes ac sciencias summo coluerunt studio. Iidem quotidianam declamationibus nauabant operam, quas ne in castris quidem cum Augusto omiserunt, quod Francius in orationibus de ratione declamandi copiose probauit. Quod si ad naturam eximiam tam continens accedit usus, non potest nescio quid singulare non existere. Sin minus audes totam fingere orationem de improviso profectam, saltem exordium tibi subito natum videatur. Saepe enim mentis sagacitas rationes quasdam cum re coniunctas, et cum hominibus, de quibus nobis est dicendum, prospicere potest, in primisque locus et tempus quam plurima suppeditant, vnde capiamus primordia dicendi. Ita, si quid noui atque inusitati paratur, animus facile hominum vndique confluentium concursum praesagit, qui quantam nobis cumulet iucunditatem, verbis enumerare licet.

§. 10.

Quamuis ex iis, quae exposuimus adhuc, simulationis rhetoricae rectum usum quilibet diiudicare possit, tamen generatim nonnulla vt addamus, ab instituto nostro haud erit remotum, in primis, si cuncta postremo, summo post hominum memoriam exemplo, clariore in luce posuerimus. Ineunti aetati huius artis exercitatio parum conuenit, quod eius leuitas atque



que impetus non diu illam recondere potest. At seniores grauitate hanc calliditatem abdunt, eaque audientium animos regunt. Neque iniuriae hac vafricia sunt tutandae, nisi velis in posterum omni carere fide. Sin iustam obtines causam, sapientiae opinione conseruabis auctoritatem, atque vitii clandestina consilia ingenio eludes. Minime vero templorum pulpita dissimulatio decet, quae ab hac histronia sint alienissima, quamuis a multis adhibeatur saepius, ac muneris tanti dignitas concedit. Nihil certe obstat, quo minus, quae Philosophis vitio dat Cicero, ad multos accommodemus oratores sacros, in Quaestionibus Tusculanis ^{f)} *quotusquisque inuenitur, qui sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio postulat? qui disciplinam suam non ostentationem scientiae, sed legem vitae putet? Qui obtemperet ipse sibi, et decretis suis pareat? Videre licet alios tanta leuitate, et iactatione, iis ut fuerit non didicisse melius: alios pecuniae cupidos, gloriae nonnullos, multos libidinum seruos: ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio: quod quidem mihi videtur turpissimum. Ut enim, si Grammaticum se professus quispiam, barbare loquitur, aut si absurde canit is, qui se haberi velit musicum, hoc turpior sit, quod in eo ipso peccet, cuius profitetur scientiam: sic sacerdos in ratione vitae peccans, hoc turpior est, quod in officio, cuius magister esse vult, labitur, artemque vitae professus, delinquit in uita. Neque probitati ac beneuolentiae dicentis respondet, auditoribus humiliter inferuire, aut lenius eorum moribus peruersis indulgere, cum tamen sint castigandi perstringendique. Nam licentia, qua hic*

f) L. II. 4.

poetae possunt uti, oratoribus non conceditur. Maximopere vero adulatio est fugienda, quae eos celebrat, qui potius sunt vituperandi, et iniquitas, quae illos reprehendit, qui in magna laude viuunt. Quibus cautionibus omnino necessariis simulatio quoties continetur, non video, quo pacto in vitii censuram incurrere possit. Quod si quis exemplum postulat simulationis sanctissimae, ad intuum atque imitandum, ei Seruatoris cum discipulis Emaunticis iter in memoriam reuocamus. Nos quidem non fugit, fuisse nonnullos, qui in conuiciis numinis diuini ponerent, Deo simulationem tribuere. Sed hanc sententiam ii fouent, qui explorationem Abrahami secum minus repent, qua Deus filii vnici necem mandauit, non ex animi sententia, qua voluit eum tot posterorum parentem seruari, sed, vt sanctior codex ipse satis indicat, ad fidem eius periclitandam. Lucae verbis quid clarius ^{h)}, vbi verbum *προσποιεῖται* adhibet, quod est simulationis proprium, sicut e Theophrasti Characteribus ⁱ⁾ luculenter apparet, cum de dissimulatore agit, quamuis ille simulationem fraudulentam describat, *ἢ εἰρωνεία δόξειεν ἂν εἶναι, ὡς τύπω λαβῆν, προσποίησις, ἐπὶ χεῖρον, πείθειον καὶ λόγων*. Quare breuiter Hesy chius et recte *προσποιεῖται* cum *χηματίζειται* permutat. Quid pluribus opus. Inuenustos aduersarios rerum testimonia frangant. Tota enim vindicis nostri ratio ponit in numerato, eum simulatione maluisse discipulos ad sanitatem reuocare, quam professione subita veritatis. Nam statim ab initio, cum ad suos propius accederet, aliam formam induit, vt Marcus ^{k)} auctor est, ne amici vultum, sibi nouissimum, statim agnoscerent. Inde summa seruatoris sapientia elucet. Nam si mox veram speciem praebuisset, ipso rum fuissent animi vehementius perturbati, quam vt argumenta resurrectionis satis perspicerent, quod facile cognitu est ex v. 37. huius capituli Lucae. In quem enim statum conspectus Iesu legatos redegit? pauore ac timore complentur, spectrumque se

D

con-

^{h)} cap. 24, 28.ⁱ⁾ cap. 1.^{k)} cap. 16, 12.




conspicari credunt. Iesus quidem nihil intermittit, quod ad ipso-
rum animos confirmandos pertineat, at tamen prae admiratione
credere non possunt. Ideo celat Deus salutis nostrae faciem, quo
discipuli retineant animi constantiam, eosque facilius de veritate
reditus in vitam faciat certiores. Eandem simulationem seruator
in sermonis progressu retinet. Probe quidem scit tristitiam ani-
mi ipso-
rum, et moesta colloquia, se tamen ignorare prae se fert,
vnde hic moeror ortus sit. Sic occasionem dat suis plura dicendi, to-
tumque pectus nudandi. Summa vero patientia fert reprehensiones
imprudens v. 18. quo faciat eos audaciores, immo vero quaerit,
tanquam imperitus rerum omnium, qualia sint illis diebus gesta.
Cumque rem totam narrassent, per speciem de se loquitur in ter-
tia persona, tanquam homine ignoto v. 26. Ita liberius potuit
vaucinia Veteris Testamenti de se interpretari. Sed ad summum
peruenit Christi simulatio, cum vale illis dicturus v. 28. videretur.
Longe vero alia spectauit consilium Iesu. Hoc enim egit, vt eos
inuitaret ad longioris consuetudinis desiderium, frangendique pa-
nis more in ipso-
rum notitiam rediret. Quae simulatio quantum
profuerit, ab ipsis Christi comitibus licet accipiamus: nobis arde-
bat animus, cum nos in via alloqueretur, nobisque scripta ape-
riret. Eadem reditum festinauit Hierosolyma, ad laetum sociis
nuntium afferendum, surrexit dominus noster. Me quidem serua-
toris simulatio commodissima sua tantopere cepit opportunitate, vt
eius persequi vestigia malim, quam multorum temeritatem, veri,
vbi neque opus est, neque expedit, cum veritatis ipsius detrimento
proferendi.



Wittenberg, Diss., 1770-73

X 228 32 35



5


DE
NE RHETORICA

AESIDE
FRIDERICO
LERO

1780,
46

PVBL. ORDIN. ALVMN. ELECT
ACADEMIAE RECTORE
PTEMBR. MDCCLXX
ORIO MAIORE
L. Q. CC
PVTABIT
VCTOR
GOPHORVS BALTZERVS
BOCENSIS

MBERGAE
LI CHRISTIANI DÜRRII
DEMIAE A TYPIS



Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Farbkarte #13

B.I.G.

Inches
Centimetres